

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 16: De conscientia (2)

Unde Isidorus:

Omnia fugere poterit homo praeter cor suum.
Non enim potest a se quisque recedere.
Ubi cumque dominatum fuerit reatum suae conscientie sibi,
et quocumque ierit, reatum suum eum non derelinquit.
Quamvis homo humana gaudia subterfugiat,
omnis tamen qui male agit,
iudicium suae conscientie effugere non potest.
Nam si alios celat que egit, sibi tamen celare non potest,
qui plene novit malum quod gessit.
Duplex fit ergo in eo iudicium,
quia et hic conscientie suae reatu punitur,
et illuc perpetuali pena dampnatur. Hoc enim significat:
Abissus abissum invocat in voce catharactarum tuarum.
Abissum enim abissum invocare est de iudicio suae conscientie
ire ad iudicium dampnationis perpetuae,
in voce catharactarum tuarum,
id est in predicatione sanctorum tuorum.

Omnia fugere poterit homo praeter cor suum.
Non enim potest a se quisque recedere.
Ubi cumque abierit reatus sui conscientia
illum non derelinquit.
Quamvis humana iudicia subterfugiat
omnis qui male agit,
iudicium tamen conscientiae suae effugere non potest.
Nam etsi aliis celat quod egit, sibi tamen celare non potest,
qui plene novit malum esse quod gessit.
Duplex fit ergo in eo iudicium,
quia et hic suae conscientiae reatu punitur,
et illuc perpetuali poena dampnatur. – Hoc enim significat:
Abissus abyssum inuocat in uoce cataractarum.
Abissus enim abyssum inuocare est de iudicio suae conscientiae
ire ad iudicium damnationis perpetuae.
In uoce cataractarum,
id est in praedicatione sanctorum.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.26.2-4 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.145, ll.5-17).